

Pusillanimitas A

Segnissimi est torpere, cum se ad propectum cognoscat invitasse.

Cassiodorus libro 1. epistola 1.

Pusillanimitas B

Deiecte mentis est qui familiaris rei meminit cum vocatur ad regnum, iacens animus plebeum nummulum thesauris regalibus ante ponit, pauper sensus qui parvis incumbens perdit magna, et inhians temporalibus perdit sempiterna.

Petrus Ravennensis.

Pusillanimitas C

Contemptus esto negociis in que descendisti nec luctare cum officio quod semel cepisti. Turpe est oneri cedere.

Seneca.

Pusillanimitas D

Remissio que os prelati obstruit, que mentem eius deiicit que adulatorem et venditorem olei facit dum sibi quietem et honorificenciam venatur in favorem principum, hec miseros precipitat in foveam scandalorum; hec est remissio per quam unus edificat parietam et alius linit per quam laudatur peccator in desideriis anime sue et iniquus benedicatur immo per hanc canes muti non valentes latrare per consensus uniformitatem, faciem et similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est. Usque quo iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis?

Petrus Ravennensis in quadam epistola.